



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 25. Polus iter in Angliam aggredi paratus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

habebat Cardinalis, quod longe utilius hoc negotium expediri posset ab aliis, quam a seipso, cum nil nisi inanem Legati titulum præferens rei gerendæ auctoritate destitueretur. Referunt in super nonnulli sinistram Caroli V. de Polo suspicionem magis adhuc auctam ex sparso rumore, quo ferebatur, a quodam Poli Nepote, qui Dilingæ hærebat, Mariæ Reginæ vitio datum, quod ipsa se, suumque Regnum extero Principi subjiceret. Præterea alius ejusdem Cardinalis Nepos hæc nuptias tam iniquo animo tulisse dicebatur, ut propterea ex Anglia secederet, atque in Gallias veniret ad Avunculum suum, a quo tamen propterea repulsus fuerat. Denique ipsimet Polo crimini datur, quod in quodam convivio Dilingæ liberius contra hoc matrimonium reclamavit: licet id mere confictum fuisse, in quadam epistola testaretur Cardinalis, unice factus, quod suam desuper mentem aperire noluerit.

§. XXV.

*Polus iter in Angliam aggredi paratus.*

Nihilominus Cardinalis, cum se ad perficiendum Legationis suæ negotium crebris literis a Papa sollicitari cerneret, tandem ad Philippum Regem literas

*Pallav. l. c.  
cap. 9. n. 4.  
Ex lit. Poli  
ad Papam  
14. & 15.  
Oftob. 1544.*

**Sæcul. XVI.** literas dedit, in quibus summa quidem  
**A C. 1554** reverentia, ac debita submissione usus,  
 Apostolica tamen libertate totam rei  
 seriem exponebat. Ad hæc literas  
 paulo post Philippus Rex respondens,  
 epistolam Simoni Renardo, qui Cæsari  
 Legati munus apud regem, ac Re-  
 ginam obibat, ad Polum deferendam  
 committebat, simulque ei hæc signifi-  
 cabat: „Comitem de Horn non ita pri-  
 „dem ad Cæsarem Patrem meum  
 „ablegavi, eo fine, ut pariter hic Le-  
 „gatus Eminentiam vestram inviseret,  
 „ac nomine meo officiose salutaret; sa-  
 „tis enim perspecta est mihi tua pietas,  
 „scientia, ac virtus, quorum merito-  
 „rum suffragio semper magnum tibi no-  
 „men apud me conciliasti; his igitur  
 „omnibus, quæ meo, ac Reginae meæ  
 „conjugis nomine Comes tibi exponet,  
 „fidem adhibere velis, & de nostra  
 „benevolentia, omnique obsequiorum  
 „genere, quantum in nobis est, te se-  
 „curum esse volumus.,

## §. XXVI.

*Quæstiones a Rege, ac Regina Polo  
 per Legatum propositæ.*

Ceterum summa rerum, quas Lega-  
 tus clam Polo oretenus exponere,  
 ac explorare jubebatur, tres comple-  
 cebatur articulos, quorum primus erat:

„An